

Bibliothèque numérique

medic @

**Desormeaux, Maria-Alexander. - De
abortu**

1811.

Paris : [s. n.]

Cote : 90974



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?90974x1811x01x05](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?90974x1811x01x05)

Concours pour la Chaire d'Accouchemens.

DE ABORTU.

THESES

QUAS, CONCURRENTIUM DISPUTATIONIBUS SUBMISSAS,
TUERI CONABITUR,

in amphitheatro salub. facultatis, Publice

et Præsentibus concursus Iudicibus,

Die 12 Julii

1811,

MARIA-ALEXANDER DESORMEAUX,

M. D. P., ARTIS OBSTETRICÆ PROFESSOR, AUGUSTISSIMÆ CELSISSIMÆQUE
GALLORUM IMPERATORIS MATRIS CHIRURGUS.

PARISIIS, M. DCCC. XI.

0 1 2 3 4 5 (cm)



DE ABORTU

PRESES. D. DE JUSSIEU.

LEROUX.

A. LEROY.

JUDICES. DD. CHAUSSIER.

A. DUBOIS.

BOURDOIS.

ÉVRAT.

VICARII JUDICES. . . DD. LALLEMENT.

RICHERAND.

AUVITY.

DEFUNCTO celeberrimo *Baudeloque*, in saluberrima Parisiensium facultate medica Artis obstetriciæ Professore publico, eorum, qui ei succedere contendebant, concursus ex imperatoriæ universitatis statutis factus est; quæ medicinæ professorum eligendorum ratio, tunc primum ab universitate instituta in usum vocata est. Candidatis, cum diversas subiissent examinationes, thesium argumenta sorte data sunt, quas duodecim dierum spatio componi, facultatis Decani censuræ subjici, præloque excusas emitti necesse fuit. Tam exigui temporis magna pars, in exercenda inter populares medicina, adimplendoque professorio munere, consumebatur, quod relictum est tantum huic operi concedebatur. Hac necessitate coactus, huic dissertatiunculæ componendæ tantam, quanta libro in publicum edendo debetur, curam atque diligentiam adhibere non potui; veniam itaque a lectoribus peto, si quid minus accurate tractatum, negligentiusve scriptum inveniant.

DE ABORTU

Darunter celeberrimo Boudolphe, in saluberrima
Parisiensi facultate medica Artis obstetricis Professore
publico, eorum, qui ei succedere contulerant, consensus
ex imperatoris universitatis status factus est; quod medi-
cino professorum eligendorum ratio, tunc primum ab uni-
versitate in usum vocata est. Cuiusmodi, cum divi-
sa adhiberentur examinationes, huiusmodi argumenta sorte data
sunt, quae doctorum diurno spatio componit, facultatis
hominum ratione subiecti, quibus ex parte erunt necesse
fuit, ut non exiguo tempore magis par, in exercenda inter-
comprehendat, quod rationem est tunc hinc illi conse-
quatur. Hic necessitate coacta, hinc discretissimam
comprehendit tantum, quare libro in publicum edenda
debetur, curam adque diligentiam adhibere non potuit;
tamen, quae a factis hinc, et quid magis accurate
tractatum, diligentissime scriptum in eorum

DE ABORTU.

§ I.

QUID per abortum stricte sit intelligendum, minime inter auctores convenit. Fœtus immaturi expulsio apud *Hippocratem* (1) Διαφορά, corruptio, aut Ἐκτρωμα, Ἐξάμβλωσις, Ἐξάμβλωμα, avortus, indifferenter audit. *Aristoteles* (2) fœtus corruptionem Ἐκρυσιν, effluxionem, vocat, quæ ante septimum diem evenit, cum genitura adhuc fluida ejicitur, mucii specie; Abortum vero, Ἐκτρωσμός, cum fit a septimo ad quadragesimum diem. Notandum tamen Ἐκτρωσμός, et post eos dies dici; etiam octimestris partus. Subtiliorem *Bonacciolus* (3) distinctionem facit inter corruptiones, effluxiones, aborsus, abortus. « Effluxiones tum corruptiones intra diem septimum incidere ait: » tantisper enim genituræ instar lactis elabuntur. Aborsus primis » mensibus conceptu exorso fiunt. Abortus prope pariendi tempus » evenit. » Nostris temporibus plerique obstetricantes, cum fœtus nondum vitalis ante septimi mensis finem ejicitur, abortum fieri dicunt; partum vero præmaturum, cum ab illo tempore ad finem usque noni mensis accidit ejusdem expulsio. Cui distinctioni, cum non certo stet fundamento, quippe quæ determinato vitalitatis fœtus tempore, de quo certant adhuc physici, solummodo nitatur, non im-

(1) Passim in operibus.

(2) *Animal. Hist.* l. 7, cap. 3, cum *Comment. Jul. Cæs. Scaligeri.*

(3) De conceptionis indicibus, nec non maris feminæque partus significatione. Ejusdem, quæ utero gravidis accidunt, et eorum medicinæ, etc.

morabor. Mihi vero omnis partus ante legitimum tempus exclusio ; abortus erit, quem gallice, *avortement, blessure, fausse-couche*, nominant.

§ II.

Abortus quovis graviditatis tempore indiscriminatim fieri potest ; frequentior tamen est multo duobus primis mensibus, testantibus *Hippocrate* (1), *Mauricæo* (2), plerisque aliis omnis ævi practicis. Hujus phænomeni causa laxiori embryonis cum utero nexui plerumque tribuitur. Quam non plane rejiciendam, sed aliam quoque in eo quærendam censeo, quod tunc temporis nisus ad elidenda menstrua sit adhuc fortior (3). Quædam etiam in quibusdam mulieribus uteri propria conditio potest ad hunc effectum, producendum multum facere.

Marium quam feminarum abortiones crebriores esse vulgaris fertur opinio, ut narrat *Morgagnus* (4) : « Quem errorem exterminari, » ait vir ille clarissimus, parentum interest, qui sæpe abortus eo » gravius ferunt, quod marium eos quoque esse putant, qui sunt » femellarum..... clitoridis enim exstantior, rimulamque protegens, » ut in ejusmodi foetibus solet, magnitudo illis pro pene imposue- » rat ; nec mirum, quando sæpius chirurgis, atque adeo medicis ad » eundem modum imposuit. » Imo femellarum abortus numerosiores observasse contendit *Scæmmering* (5). Idem, anno 1672, observaverat *Bartholinus* (6).

(1) Lib. de septimestri partu.

(2) Aphorismes touchant la grossesse, etc., art. 41.

(3) *Henning*. Diss. de Causis part. anim. nat. apud *Schlegel*, t. 2, p. 268.

(4) De Sedibus et causis morb. epist. 48, art. 9-10.

(5) Embryonum icones.

(6) Acta hafn. ann. 1671-72; et. coll. academ. t. 7, p. 153.

§ III.

Abortus causa vel proxima est, vel determinans. Ut partus, sic abortus causa proxima in uteri contractione consistit. Quidquid uterum ad sese contrahendum disponit vel excitat, pro causa determinante habendum est. Determinantes causæ itaque in prædisponentes et occasionales dividi debent. Quæ, cum sint numerosissimæ, quo ordinatius procedat earum expositio, in plures classes redigendæ sunt. Ex prædisponentibus aliæ matri, aliæ foetui sunt propriæ. Occasionales pro mere accidentalibus reputandæ sunt. Prædisponentes causæ eo virium pervenire possunt, ut abortum sine occasionalium concursu promoveant; quo in casu *spontanei* nomen sortitus est abortus. Quamobrem non raro videre est mulieres quibus, etsi facile frequenterque concipiant, nullum tamen partum maturum edere obtigit. Sæpè, ut ut minori vi præditæ hæ causæ, tantam exerunt actionem, ut causa occasionalis, vel levissima et minimè, ut videtur, ad talem effectum producendum apta, ad foetum excludendum sufficiat; dum, sub diverso rerum statu, incolumis servatur, non obstante violentissimarum occasionalium causarum actione. Quæ tamen multis in casibus per se solæ partum corrumpere valent.

§ IV.

Causæ matri propriæ, vel ad quamdam totius œconomiae conditionem, vel ad peculiarem uteri statum referendæ sunt. Inter priores numerari debent: alteratio quædam in gravidæ a vi tempestatum inducta (1); temperamentum sanguineum, plethoricum; ad hæmorra-

(1) Hippoc. aph. 12, s. 13. — Bartholinus. Acta hafnieus. Ann. 1671-72, et coll. acad., t. 7, p. 153. — Medic. Wratislav. collec. — Stoll. ratio med. t. 3. Ephem. anni 1778. — Klein. Interp. Clinic. — Deleurye. Traité d'accouchemens, § 322. — Recueil périod. de la Société de Méd. de Paris, n°. 22.

gias uteri, aliarumve partium, proclivitas; menstrua larga, anomala; matura admodum lactis in mammas effusio (1); virium imbecillitas; nimia sensibilitas; extenuatio; vigiliæ; inedia; cachexia; scorbutus; hystericæ, nephreticæ affectiones, aliique morbi chronici; ad odontalgias, defluxiones tussiculosas propensio; vitiosa rachidis pelvisque conformatio; vestium, thoracum præsertim augustia; hæreditaria dispositio; consuetudo (2).

Inter secundas : nimia fibrarum rigiditas, et ad dilatandum resistentia; irritabilitas seu contractilitas, sensibilitasque nimia; peritonæi et vasorum uteri, si *Hauenschildio* (3) credimus, resistentia; colli uterini fibrarum, ut quibusdam placet, debilitas; uteri atonia (4), innata, vel a fluore albo inveterato copiosioreque sive a puerperio antecedente malo inducta (5); uteri calor immodicus (6); scirrhus; carcinoma, steatoma, mola, polypus; hydrometra; foetuum plurium præsentia, majorque ex hac causa uteri distensio.

(1) Memorabile exemplum, quod mirum mammarum et uteri consensum probat, refert *Lentin*. Femina novem experta fuit abortus ob admodum maturam lactis in mammas effusionem. Cl. *Lentin* impedit novum abortum per repressionem lactis : per venæsectionem, fomentationes frigidas, et antispasmodica. *Bezold*. Diss. de Hæmorrh. uteri part. insequente. Apud *Schlegel*, t. 2, p. 672.

(2) Sæpissime observatum fuit mulieres, cum quavis de causa etiam extranea pluries abortierunt, in aliis graviditatibus sine causa alia manifesta abortiisse.

(3) *Hauenschild*. Diss. de Muscul. uteri struct. apud *Schlegel*, t. 1, p. 220.

(4) Quas ob causas partus eodem sæpe gestationis tempore corrumpitur, abortusque recurrunt, qui *periodici* audiunt apud auctores.

(5) Uteri atoniæ jam meminit *Hippocrates*, aph. 44, sect. 5.

(6) *Peu*. Pratique des Accouch. l. 2, cap. 17, pag. 535.

§ V.

Ex parte fœtus causæ, vel fœtum ipsum, vel partes nutritioni inservientes spectant. Quæ fœtum spectant, sunt: ipsius debilitas; morbi, ut hydropes varii, hydatis seu vesicula seri plena intra cavum pectoris, marasmus, textus cellulosus induratus, excoriatio, exanthemata, motus spasmodici, herniæ; monstrosa conformatio (1). Quæ verò ad partes nutritioni inservientes attinent, sunt: placenta ori uteri affixa, callosa, scirrhusa, hydatidibus vel aneurismatis varicibusque referta, parva aut magna nimis ratione habita ad universum fœtus corpus, extenuata et exsucca (2); funiculus umbilicalis deficiens, si fides sit adhibenda auctoribus, quæ, ut uno verbo rem absolvam, plane neganda mihi videtur; justo aut brevior aut longior, et fœtus collo aut artubus circumvolutus, agglutinatus, nodo intersectus (3), tenuis admodum, exsuccus, marcidus, turgens, hydatidibus vel tumoribus alius generis adnexis; membranarum ovi tenuitas nimia; aqua chorion inter et amnion collecta (4); liquoris amnii copia multum imminuta, vel non ea ratione, quæ requiritur, aucta (5).

§ VI.

Causæ occasionales seu accidentales adeo sunt multiplices, ut vix numerari queant, et cum illas in animum revocamus, parum absit,

(1) De his omnibus fœtui propriis causis conf. *Raulin*. Conserv. des Enfants, t. 1.

(2) Placentæ solutionem ab utero, frequentissimam abortus causam, consulto omitto, quia ejus causa fere semper vel a matre est, vel extrinsecus incidit, et ad causas occasionales referri debet, ut infra dicetur.

(3) *VanSwieten*. Comm. in Aph. *Boerhaavii*, § 1306.

(4) *Lobstein*. Diss. sur la Nutrition du Fœtus.

(5) De his causis confere *Burdach*. Diss. de læs. part. fœt. nutrit. inserv. abortus causa.

quin metuamus ne ullus unquam ad maturitatem perveniat foetus. Plerique tamen decimum a conceptu attingunt mensem, majorque illorum numerus est, ac eorum qui per graviditatis cursum pereunt; unde constat causas illas, quamvis numerosas, non ideo frequentiores esse (1). Harum plurimæ foetus exclusionem, placentam solvendo, excitare dicuntur; quod non nisi in perpauca casibus, si ullis, primarie fieri potest. Vero similis multo, multoque magis et rationi et experientiæ consentaneum videtur plerasque causas accidentales congestionem in uteri vasa ciere, quam sequuntur vel hæmorrhagia, indeque placentæ solutio, vel ob sensum molestum uteri contractio (2). Aliæ spasticos ad motus nervos musculosque sollicitant, utero in consensum tracto, et contrahi coacto; aliæ in foetum ipsum agere videntur. Sic abortum promoverunt: morbi acuti, quales sunt febres, inflammationes, imprimis uteri; diarrhœæ, dysenteria, tormina, tenesmus, constipatio; stranguria; hystericæ, epilepticæ convulsiones; risus immoderatus; vociferatio; tussis; vomitus; dolor; animi pathemata, mœror, ira, pavor, terror; asphyxia; odorum fragrantium aut tetrosum impressio; coïtus; motus violenti; nisus; succussiones; saltatio; casus; ictus lumbis vel abdomini inflicti; emmenagogorum, fortium purgantium, emeticorum, pediluviorum usus; foetus motus convulsivi, funiculus ruptus, membranæ scissæ. Sanguinis missiones, sive fluxionis motus ad uterum dirigant, sive nimia et subita vasorum depletionem alimoniam foetui subtrahant, causis abortus occasionalibus annumerari possunt. De causis voluntariis nihil dicendum credidi, quod omnes ad prædictas referendæ sunt.

(1) *Astruc. Maladies des Femmes. l. 3, chap. 12, § 2.*

(2) Nunquam facilius accidentalibus causis succedit abortus, quam in terminis menstrui fluxus alias suetis. *Klein. Interp. clinicus.*

§ VII.

Varia sunt abortionis phænomena ratione temporis quo accidit et causarum quibus debetur. Primis duobus mensibus quandoque ovum integrum, parvæ molis adhuc, sine notabili dolore, sine hæmorrhagia ejicitur. Plerumque vero sanguinis fluxu stipatur; ovulo sæpe inter sanguinis grumos latente. Unde fit ut plures abortum passæ sint, dum tantum modo copiosioribus menstruis laborasse crediderunt. Post hos menses eo majoribus doloribus, majorique sanguinis profluvio, quo grandior fœtus, comitatur abortio. Illam plerumque major sequitur sanguinis fluxio quam partum absolutum terminis suis. Quæ morbis chronicis supervenit, vel caussis lente sensimque agentibus succedit, illam ut plurimum habet symptomatum seriem: horrores atque rigores in toto corporis habitu, sequitur æstus aliquantus; sæpe adsunt nausæ, inappetentia, sitis, dolores ad lumbos, lassitudines, leipothymia, palpitatio cordis, extremorum refrigeratio, mentis dejectio, tristitia, facies pallida, oculi cavi, luridi, palpebræ tumentes, halitus fœtidus, sensus debilitatis in abdomine, frigoris versus pubem, dolores gravativi ad genitalia; mammæ extenuantur, flaccescunt, serosum quid emittunt; fluit e vagina humor saniosus, postea sanguinolentus, sanguis denique vel liquidus vel grumosus; fœtus motus persæpe decrescunt paulatim, deinde cessant; hypogastrium delabitur; dolores et vividiores et frequentiores fiunt, orificio uteri sensim aperto magis ac tenui, cum vesiculæ prominentia; aquæ demum amnii et fœtus ipse excluduntur; secundinæ ocius tardius expelluntur, eo usque durante sæpius sanguinis profluvio. Qui caussas habuit accidentales valentes, abortum præcedunt dolores ad lumbos, graviditates ad lumbos et artus inferiores, sensus in hypogastrio ponderis insoliti vulvam et anum prementis; ægritudo, cardialgia, rigor. Ab initio sæpe paucus apparet sanguis rutilus, stillicidio sanguinolento secutus, quod aliquot ante abortionem momenti in gravem hæmorrhagiam degenerat; sæpe vero

caussæ fere statim supervenit largus cruoris rivulus fluere pergens, usque dum fœtus secundinæque expellantur. Dolores in abdomine frequentes, lancinantes, ab umbilico ad vaginam tendentes, in utero nisus ad aliquid expellendum, persentiuntur. Os uteri dehiscit, membranæ ovi tument, erumpunt aquæ, fœtus foras pellitur. Qui sub ultimis gestationis mensibus accidit, eadem ac partus maturus symptomata exhibet: lochiorum nempe fluxum, lactis secretionem in mammis, febrem lacteam. Abortionem magnos aliquando ad occiput dolores sibi socios adsciscere, refert *Galenus*.

§ VIII.

Interdum sub mediis etiam graviditatis mensibus integris fœtus secundinis inclusus exit. Quandoque vero excluso embryone secundinæ utero adfixæ manent, nutriri ac crescere pergunt, figuram induunt massæ carneæ, plus minus structura alterata, sæpe hydatidibus refertæ, quam molam nominant. Aliis in casibus embryo adhuc tenerior, et fere mucosus, perit, in liquore amnii solvitur, aut si grandior solidiorque fuerit, servatur quasi muria conditus; secundisque eundem in modum mutatis, mola etiam formatur, cujus in medio cavum seri plenum, aut fœtus exsuccii reliquiæ deprehenduntur. Fœtus adultioris mortem non semper sequitur abortus. Liquore amnii et succis fœtus ipsius resorbis, exsuccus ille, siccatus, petrefactus per quamplurimos annos ad terminum usque matris vitæ servatur. Quandoque post menses, imo et annos, plures, putrefactus, inflammationem utero creat; formantur abscessus, e quibus vel in superficie abdominis, vel in tractu intestinorum vel in vagina apertis, ossa fœtus soluta emergunt, purulentæ, tabo, putrilagini mixta, et magnis sæpe interjectis intervallis. Mulierum aliæ inter tot tantaque mala et pericula incolumes evadunt; aliæ doloribus, largis saniei profluviis exhaustæ, macie squallidæ, tandem misera morte occumbunt. Inde tot apud auctores fœtuum ano, abscessibus fistulosis ejectorum historiæ, quarum tamen aliquæ extrauterinis conceptibus, ruptoque utero adscribendæ sunt.

§ IX.

Signa abortus diagnostica vel futurum prænuntiant, vel præsentem declarant. Priora ex causarum quæ præcesserunt notitia, et aliquot memoratorum symptomatum præsentia; secunda ex symptomatis partum comitari solitis desumuntur: sic foetus corruptionem augurari licet, cum, aliqua causa prægressa, ictu videlicet, casu, rudiori concussionem, violento animi pathemate, in muliere præsertim prædisposita, dolor adest ad lumbos, gravitas ad inferiora, horror, extremorum frigus, sanguinis stillicidium, hypogastrii depressio, micturitio, uteri, quaqua inclinatur mulier, illapsus, foetus motuum cessatio, mammarum extenuatio, humoris serosi ex papillis effluxus. Fieri vero pronuntiandum est, cum dolores ab umbilico ad coccygem vergentes sibi invicem succedunt, intervallis sensim imminutis; os uteri mollescit, dehiscit; membranæ ovi sub dolore tenduntur, prominent.

§ X.

Multo plus periculi abortum quam maturum partum mulieri inferre contendunt *Hippocrates* (1), *Mauricæus* (2), multique alii medici. Sed multum abest, quin omnibus hæc sententia casibus competat; visuntur enim quotidie mulieres, quæ facillime et nulla, ut ita dicam, ratione habita, abortiunt (3). Mulieres sanas, quæ alvum lubricam, uterum humidum habent, quæ magnos pueros absque summis doloribus pepererunt, ætate florentes, neque nimis sanguinosas, neque nimis corpulentas, abortum ejusque reliquias facilius ac alias ferre ait

(1) De Morbis mulier. liv. I.

(2) Aph. 137.

(3) *Levret*. Comm. in hunc aphorismum.

Aëtius (1). Tenerioris autem compagis feminam magis periclitari quam obesam ex abortu, et tantisper abortire, donec facta sit habitior, docet *Hippocrates* (2). Non usque periculi vacat abortio; non vero per se periculosa haberi debet, sed propter causas, complicationesque. Magnum itaque pro causis, symptomatibusque discrimen facien- tum est; sed et temporis ratio quoque habenda est.

Ratione temporis: eo majus mulieri periculum intendit abortio, quo proximius ad partum accedit. Major enim est sanguinis fluxus, operosior foeturae exclusio, copiosiora lochia, fervidior lactea febris. Quidam tamen abortum primo trimestri spatio molestiorem esse putant, repugnante experientia. Inficias quidem iri nequit tunc temporis colli uterini majorem esse longitudinem resistentiamque, placentam utero magis adhærere, ægrius solvi, tardius expelli, non nisi difficillime extrahi posse, qua intus remanente non sistitur hæmorrhagia. Sed quo minus a conceptione recedit genitura, minor requiritur cervicis orisque uteri apertio; levior adest hæmorrhagia, neque ante graviditatis medium tempus funesta, asserentibus *Puzotio* (3), *Levreto* (4), et expertissimo quoque obstetricante.

Ratione causarum: qui causis accidentalibus, periculosior eo, qui prædisponentibus succedit; eoque magis, quod caussa violentius celeriusque egit (5), in muliere non disposita, inassueta. Periculosissimus præsertim qui potionibus de industria excitatur (6), quod eæ,

(1) *Tetrab.* 4, serm. 4, cap. 19.

(2) Apud *Klein.* *Interp. clinic.*

(3) *Acad. chirurg. acta*, t. 1, p. 361.

(4) *Comm. ad Mauric. aph.* 137.

(5) *Mauricæus.* *Aph.* 157.

(6) *Idem.* *Aph.* 154. — *Astruc.* *Traité des Maladies des Femmes*, liv. 3, chap. 9, § 5.

non nisi magnam in vasis congestionem, et ad phlogosim dispositionem ciendo, uterum ad contractiones impellant, simulque intestinorum tractum acriter irritent, nervosque convellant; estque persæpe periculi particeps, qui nefanda arte instrumentorum ope extorquetur, cum non raro vulnerentur uteri parietes, unde sequuntur hæmorrhagiæ vix ægre compescendæ, uteri inflammatio, apostemata, ulcera, carcinomata, peritonitis. Qui sponte fit, et nulla evidenti causa, absque dolore plerumque et quam facillime fit, nullasque post se trahit mali reliquias; sed faciles sunt recidivæ, nempe ob corporis uterive prædispositionem non deletam. « Abortientes etiam a quacumque causa, » si foetus parum fuerit maturus, et illæ mox iterum concipiant, » plerumque circa idem tempus, sive eandem gestationis hebdomadam, denuo abortu tentari solent (1). Propensio illa ad frequentes » abortus, molas, et paucis sæpe mensibus sese excipientes, inde » pendet quod prius concipiant rursus, quam ita per temporis rationem purgamenta prioris abortionis penitus evacuata sint (2) ». Multiplices abortus recidivæ inducunt cachexiam, sterilitatem, ad dies vitæ tumorem ventris ingentem, malum hystericum, molarum generationem, uteri exulcerationes, excrescentias fungosas, scirrhum, carcinomata, mensium ataxias, decolorationem, uteri prolapsum, fluorem album, hydropem uteri, urinæ incontinentiam, leucophlegmatiam, hæmorrhagiam uteri, maniam, melancholiam (3).

Ratione symptomatum : quo copiosior sanguinis fluxus, eo periculosior abortus, vel in præsentia, vel in posterum. Mulier enim, ni præsto sit auxilium, sanguine exhausto perit; aut si ei evadere contingit, affectus hystericos patitur, debilitatem summam, cachexiam, leucophlegma-

(1) Klein. Interp. clinic.

(2) Idem ex Werloffio.

(3) Idem ex Zacuto lusitano.

tiam, hydropem. « Abortus omnis est periculosus, si fœtus adultior » mortuus est, male positus, si ex parte computruit, si mola simul, » si febris acutæ supervenit, si animi deliquia, convulsiones præsto, si » fœmina sensibilior, affectibus animi patens, hysterica. Ex vel in » abortu convulsæ raro evadunt (1). Quæ utero gerentes febribus » corripiuntur, et valde extenuantur citra manifestam causam, difficulter » et cum periculo pariunt, aut abortum facientes periclitantur (2) » hoc *Hippocratis* effatum confirmat *Finkius* (3). Quæ, cum variolas habent, abortiunt, eæ fere semper aliquo post tempore moriuntur; imo et quæ morbillos habent (4). Abortus qui diarrhæam, dysenteriamve causam ac deinde complicationem habet, plerumque funestus evadit, ni brevi sistantur hi fluxus. Gravissima quoque est abortionis cum inflammatione aliqua junctio.

Abortum sæpe sequitur uteri, partiumque vicinarum inflammatio, quæ mulierem in magnum ducit mortis discrimen, interdumque oris uterini, tubarumve parietum inter se, aut infundibuli cum ovaris adhesionibus præternaturalibus, sterilitatem inducit. Abortionem contra, quæ sexaginta post conceptum dies eveniret, dum menstrui fluxus, a norma deflecti, periodicam accessionem, in ordinem redigeret, salutarem esse posse contendit *Hippocrates*; hancque opinionem firmavit experientia (5). Sunt feminae, quæ, cum mensium defectu per plures annos fuissent steriles, post abortum, fœcundæ in posterum evaserunt. Abortus certe fœcunditatis reducis non causa, sed signum haberi debet (6).

(1) *Klein*. Interp. clinic.

(2) *Hippoc.* Aph. 55, sect. 5.

(3) De morbis biliosis, p. 52.

(4) *Mauriceau*. Aph. 147. — *Levret*. Comm. in hunc aph.

(5) *James*. Diction. med. ad verbum Abortus.

(6) *Mauriceau*. Aph. 67. cum *Levreti* comm.

Abortus fœtûi, tempus quò vitalis esse incipit nondum adeptò, semper lethalis est; postea vero periculosior eo, quo magis a legitimo gestationis termino recedit. Minorem quidem ob parvam molem mollitiemque ab ossibus partibusque genitalibus experitur resistantiam; sed minus solidum ad uteri nisus opponit corpus, minusque ad vivendum habilis ex utero egreditur.

§ XI.

Curatio eo proposito instituenda est, vel ut futurus præcaveatur abortus, vel ut præsentì succuratur, vel ut secutis accidentibus remedium adhibeatur. Prima indicatio duplex est : causa prædisponens amovenda, aut causæ occasionalis actio coereenda est. Prædispositis ad abortionem qualibet ex causa, omnes causæ occasionales, vel levissimæ, perquam diligenter vitandæ sunt, et præsertim quæ cum peculiari individui propensione conveniunt. Aliis etiam, prout varia datur prædispositio, cautionibus opus est. Sic temperamentum sanguineum, plethoricum, victu tenui, e vegetabilibus, potu diluente, refrigerante, somno levi ac brevi, exercitio corporis multo, extra graviditatem corrigere studendum est; sub graviditate vero, præter hæc, missione sanguinis, pluribus etiam vicibus repetenda. Quoties eam repeti necesse fuit in quibusdam gravidis (1), quantumque ea quidam absque matris fœtusque pernicie abusi sunt (2), vix credibile est. *Hippocrates* (3) prægnantem abortire, si vena secetur, prædixit, id que potissimum, si fœtus gran-

(1) *Riverius*, Prax. med. l. 15, cap. 16.

(2) Venesectionis quadraginta octo vicibus in gravida, nonaginta in altera, *Mauricæus*. Obs. 20, quadraginta novem vicibus celebratæ in femina plethorica, prægnante, *Stalpart Vanderwiël*, obs. rarior. med. cent. 1. Obs. 65, meminerunt.

(3) *Aph.* 30, s. 5.

diôr fuerit; quod observationi quotidianæ adversatur (1). Nos enim prægnantibus, non modo sine incommodo, sed etiam maximo cum fructu, venam secamus. Imo fuerunt adhucque sunt qui gravidas phlebotomia vacare haud posse, sibi persuasum habent; perinde ac si, ut cum claris. *Quesnay* (2) loquar, chirurgi phlebotomo propagationem tuendam natura mandasset. Consultius agere mihi videntur, qui *Celso* (3) auscultant, dum ait: « Interest enim, non quæ ætas sit, » neque quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint ». Tunc autem celebranda est venæsectio, cum manifesta apparent plethoræ indicia, ac maxime cum congestionis ad uterum abortusque futuri præsentia deprehenduntur symptomata. Neque parum refert quibus ex venis sanguis mittatur; hisce in casibus e brachii venis procul dubio fundendus erit. Cum mulieres menstruis largis, anomalis, fluxionibus hæmorrhagicis obnoxie sunt, variæ sunt adhibendæ medendi rationes, prout hæc diathesis cum temperamento sanguineo, nerveo, mucosove, solidorum strictiori laxiorive compagine jungetur; locusque dabitur antiphlogisticis atque diluentibus quandoque; interdum etiam tonicis, antiscorbuticis, martialibus. Cum uterum gerunt, summa

(1) Hanc litem componere conati sunt *Riverius* et *Etmullerus*, quorum verba huc adducere haud abs re erit. Sic *Riverius*, prax. med. lib. 15, cap. 17: « Si autem aliter sensisse videtur *Hippocrates*, animadvertatur quod modo » longe diverso nos venam secamus, ac antiqui faciebant, qui ad libras, nos » ad uncias mittimus. » *Etmullerus* vero, oper. t. 2, p. 1. Hæc habet: « notum est ex aphorismis, quod mulieribus (gravidis) venæsectio, si admittretur, abortum inducat. Verum *Hippocrates* vixit in climate fervidiore, » et ubi media diæta utebantur. Apud nos, ubi luxuriantes sunt mulieres, admistrare venæsectionem consultum est, nempe junioribus, habitioribus et » plethoricis ».

(2) *Traité de la Saignée*. Chap. 10, § 21.

(3) Lib. 2, cap. 10.

quies, et temporibus quibus alias menstrua solvere solebant, venæsectiones eis imperandæ sunt. Virium imbecillitas analeptica, roborantia, non tam e penu materiæ medicæ, quam e diætâ sumpta, et, per graviditatis cursum, quietem; nimia sensibilitas eadem antispasmodicis sociata sæpe, sæpe vero diluentia, balnea tepida, aliaque ejus generis requirit. Scorbutus; hysterici, nephritici affectus, atque alii morbi chronici suis quique methodis propriis debellandi, vel eorum saltem graviora symptomata lenienda sunt. Qua ratione ad odontalgias, defluxionesque tussiculosas propensio superari queat, declarandi hic non est locus. Quæ possunt causæ, ut vigiliæ, inedia, vestium angustia, quam citissime removendæ sunt. Diverse gravidas ad abortiendum disponit tempestatum vis : aut solidorum compagem fluidorumque crasim plus minus sensibili modo alterat; aut morbos acutos, partus corruptionis causas occasionales, progignit. Cum plerumque hujus alterationis essentia nos lateat, in investiganda epidemicos abortus præcavendi ratione, nullum alium, ac temperiei sensilium qualitatum, morborumque regnantium observationem, fidum ducem sequi possumus. Si vero aëris constitutio a regionis situ aspectuque pendere comperatum esset; mulieres prægnantes ad alios locos amandare oporteret. Hæreditaria dispositio, cum non in manifesta corporis aut genitalium constitutione consistit, non nisi ex eorum quæ matri nocuerunt aut profuerunt notitia sumptas, nobis suppeditat indicationes; tantum ergo, ut occasionales causas quam curiosissime vitent, his præcipiemus feminis, illisque quæ sine causa evidenti, propter solam consuetudinem aut corporis deformitates, abortiones experiuntur.

§ XII.

Quibusdam ex iis, quæ peculiari uteri statui ortum debent, abortionibus obviam iri potest; aliarum vero causæ sunt prorsus insuperabiles. Qui scirrhum, carcinoma, steatoma, molam, polypum, hydrometram, nimiam uteri distensionem ob fœtum plurium præsentiam, causam

habent abortus, nulla ratione cohiberi queunt; nam horum causæ omnem medentum artem eludunt, etiam cognitæ. Alias vero, stante graviditate, ægerrime, quandoque etiam nullo modo, suspicari licet. Ad fabulas itaque ableganda omnino est hæc chirurgi historia (1), qui abdominis uterique parietes secuit, ut fœtus jam pridem mortui sceleton, una cum altero recens concepto fœtu in utero retentum, eximeret, muliere non modo superstite, sed etiam fœtum ad legitimum usque graviditatis terminum in utero incolumem servante. Fibrarum uteri rigiditas, contractilitas, sensibilitas nimia, peritonæi vasorumque uteri resistentia, potu diluente, temperante, sanguinis missione, balneis tepidis, fotibus, injectionibus emollientibus, narcoticis, emendari possunt. Colli uterini fibrarum debilitati, injectionibus, suffitibus, pessis tonicis, aromaticis, sub astringentibus, medebimur. Uteri atoniæ purgantia tonica, roborantia siccantiaque medicamina, martialia, exercitium, balnea vel frigida, vel medicatarum aquarum, suffitus, fotus aromaticos opponemus (2).

§ XIII.

Causas, quæ ad fœtum partesve ipsius nutritioni inservientes attinent, una aut altera excepta (placentam cervici uterinæ adhærentem motusque fœtus spasmodicos puto), ne suspicari quidem possumus, nisi perraro et solummodo ex prægressis abortibus, aut matris morbis; cognitisque, si id unquam nobis dabatur, omnia quæquæ in usum trahere vellemus, irrita absque dubio forent. Si quando fœtus debilitati vel morbidi causa adversæ matris valetudini tribuenda videtur, nihil aliud nobis agendum est, quam ut eam in meliorem sanitatis statum adducere studeamus. Adfixa uteri collo placenta varia promit symptomata, variaque expostulat auxilia, non hic enarranda.

(1) *Marcell. Donatus. Hist. mirab. med. l. 4, cap. 22.*

(2) *Boerhaavii. Consult. méd. cons. 15.*

§ XIV.

Causæ occasionales pro varia, quam exercent agendi rationem, variam postulant medelam. Sed antequam ad singularia curæ deveniamus, effectusque causæ delere tentemus, ea ipsa, si persistit adhuc, omni opera arcenda est. Tunc primum ejus effectus propria methodo aggredi licet. Sanguinis in uteri vasa congestio, hæmorrhagiæ, placen-tæ solutionis, uterique contractionem principium, plus minus rapide formatur. Interdum hæmorrhagia vix elapso temporis momento causæ succedit, abortusque ante nycthemeri finem absolvitur; interdum etiam non nisi post plurimos dies. Inter mulierculas quædam viget opinio, abortionem, post expletum novem dierum numerum, tantum fieri, nec ante hunc terminum remedia adhibenda esse; quem funestum errorem seriis rationibus oppugnare supervacaneum foret. Congestio his signis dignoscenda venit: causa prægressa huic ciendæ apta, sensu in utero molesto, gravitate aucta, doloribus gravativis vel lancinantibus, pressione externa motuve auctis, arteriarum abdominis pulsationibus, pulsibus in brachio plenis, fortibus, frequentibus, sanguinis aut humoris sanguinolenti per genitalia stillicidio. Per venæ-sectiones ægræ temperamento causæque magnitudini adæquatas, potum temperantem, refrigerantem, solidi cibi abstinentiam, summam quietem, auræ liberioris frigidæque usum, curari debet (1). Hæmorrhagiæ, cum jam orta est, apta methodo hic non describenda, sistendæ satagere necesse est. Quæ in nervorum systema agunt causæ, effectus suis quoque signis conspicuos gignunt; sic post vehementis animi pathema, odores graves olfactos, irritantium potio-

(1) Cum manifesta sunt in utero congestionis signa, abortumque necessario futurum esse constat, quid vetat experiri, quid per sanguinis ex partibus vicinis emissionem, hirudinum ope inguinibus, aut pudendi labiis applicatarum, profiteretur ad congestionem solvendam, partumque servandum.

nam haustum, aut artus convelluntur, aut facies attonita deprehenditur, mens turbata, pulsus quandoque naturalibus similes, quandoque parvi, contracti, celeres sunt, hystericæ passionis symptomata apparent aliqua; fœtus motus vel languidiores, vel vividiores spasmicique fiunt. In usum vocanda sunt pro prægnantis temperamento, sanguinis missio, diluentia, temperantia, quies, balnea tepida; antispasmodica proprie dicta, narcotica. Fœtui nocere queunt occasionales abortus causæ duplici ratione: aut impetu subito, abstrusæ inexplicabilisque naturæ, aut alimenti subtractione. His directam parare medicinam cum non liceat, matris valetudini ex dictis prospicere tantum datur. Quamcumque medendi rationem adhibendam censueris, eam ne citius relinquant, si parum succedere primo videatur, vel instantis abortionis signa præsentia eam irritam fore mimentur. Nullum enim ex ea incommodum, quippe quæ, causis abortus adversa, futuris etiam accidentibus obviam ibit; multa vero sæpe commoda percipiet prægnans. Interdum fœtum incolumem per reliquos gestationis menses servare contigit, cum certiora jamjam successuri abortus indicia aderant, aquarum nempe fluxum (1), dolores acres frequentesque, uterini orificii satis amplam apertionem (2).

§ XV.

Cum jam abortionem nulla ratione declinari posse constat, obstetricans omnia, dum sinant accidentia, naturæ committere debet. Primis gestationis mensibus, ut antea dictum est, ovum integrum ejicitur, magno matris commodo; cum enim intempestive scinduntur membrana, uterus, oneris parte deposita, segnius ad tempus con-

(1) *Mauriceau*. Obs. 65. — *Bartholinus*. Hist. anat. med. rarior. cent. 2, hist. 39.

(2) *Baudeloque*. Art. des acc. part. 4, chap. 7, art. 3, sect. 2.

trahitur, os uteri ægrius dehiscit, placentaque post fœtus expulsionem diutius ob molem in utero remanet. Ideo membranæ integræ accurate servandæ sunt; exploratoriique tactus usum rarum esse convenit. In eo tantum versatur medici munus, ut acerbiora symptomata, convulsiones verbi gratia et hæmorrhagiam, temperet. Quo proximius ad legitimum terminum accedit graviditas, eo major est uteri vasorumque uterinorum dilatatio, adultiorque fœtus ampliorem præbet molem. Indeque gravior hæmorrhagia partum accelerandi, major fœtus moles ipsum in pedes convertendi necessitatem inducere possunt; quæ non alias, ac sub partu maturo, regulas requirunt. His temporibus, non nisi ruptis membranis, fœtus exitus procurari potest; harum tamen rupturam urgere inconsultum foret. Integræ enim oris uterini dilatationem faciliorem reddunt, fœtum liquoris amnii ope ab uteri pressione defendunt. Mortuus (1) plerumque, si causæ externæ violentæ succedit abortus, fœtus expellitur; vivus vero, vitamque post, forte etiam ante, septimum gestationis mensem servaturus, si ob causam internam in lucem præmaturus venit (2). Secundinarum extractio ob funiculi umbilicalis tenuitatem, placentæ molem, oris uterini angustiorum hiatum difficillima profecto est, sed perquam raro necessaria. Ut plurimum, quemadmodum fœtura, sic secundæ ejiciendæ naturæ committendæ sunt. Si gravis adest hæmorrhagia, matri mortem intentans, antequam ad manus intromissionem deveniatur, quid per injectiones a celeberrimo *Levreto* in usum vocatas profiteretur experiundum est.

(1) Abortivorum fœtuorum mortuorum molem, non semper graviditatis temporis respondere notat *Mauricæus*, Aph. 50; cum enim ex utero pelluntur, eandem, ac eo tempore quo vita extincta fuit, molem habent. Quæ animadversio quotidiana observatione confirmatur.

(2) *Delamotte*. l. 2, chap. 15.

Uteri inflammationis, apostematis, ulcerationum, carcinomatum, aliorumque abortionem sequi solitorum morborum curatio, multo magis ad universam muliebrium morborum, quam peculiarem abortus medicinam attinet. Hac ergo neglecta, dissertatiunculæ finem imponere propero.

FINIS.

FAIN, UNIVERSITATIS IMPERATORIÆ TYPOGRAPHUS.